

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Monachus ag
cum uariis

Ordo claustris et ordo curie diuisus est. Ibi sedes in insidiis cum diuitibus in occultis ut interficias innocentem. Hic audis: Non sedi cum consilio uanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris ut rapias pauperem, rapere pauperem dum attrahis eum; hic dicis: Odiui ecclesiam malignancium et cum impiis non sedebo. Ibi dextera tua est repleta muneribus; hic lauas inter innocentes manus tuas. Ibi laudatur peccator in desideriis anime sue et iniquus benedicitur; hic benedicitur Deus. Si uis igitur esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet.

Hugo de duodecim abusionibus.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

interficias] interficiat C; non sedi cum] cum non sedi V¹; iniqua] inqua P V¹; dum attrahis eum *om.* C; cum *om.* C M; est repleta] repleta est P V¹ V² L¹ L²; lauas] inter *add. (del. intra)* M; sue] scilicet C; igitur *om.* P V¹ V² L¹ L²; laudas] laudat L²